







2
6
280











JOHAN. GEORGII DORSCHEI, D.

EXERCITATIO
Ad
CONCILII NICAENI I.
ΔΙΑΤΥΠΩΣΙΝ
de
SACRA SYNTAXI
COENAE DOMINICAE
à
GELASIO CYZICENO
commemoratam.

Præmittuntur, quæ ad historiam Concilii pertinent.





ARGENTORATI,
Typis & Sumptibus JOH. PETRI AB HEYDEN.

ANNO ClↃ DC LIII.

2



PER
RO

DN. C
PH

DN. J
RI

Comitibu
in

Do

Salutem
va



satis testat
suavissimun
ciendum sit
gnum, con
gubernari, f



PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS COMITIBUS AC DOMINIS,

DN. CONRADO CHRISTOPHORO & DN. JOHANNI FRIDERICO } Königsmarck/

Comitibus VVestervvicii & Stegenholmii, Dominis in Rotenburg & Nienhaus, &c. fratribus germanis,

Dominis meis Clementissimis,

Salutem & Pacem à Deo Opt. Max. per Salvatorem nostrum & in eo prosperrima omnia P.P.



COnjunctio magna jure est & indivisa necessitudo, tum in universum inter bonas literas, tum etiam sigillatim inter divinarum revelationum studia,.& inter generosas mentes. Res ipsa, si penitius introspexerimus, id satis testatur. Bonæ literæ generosarum mentium suavissimum sunt pabulum, sive dum docent, quid faciendum sit, sive, quid factum, quod perennitate dignum, commemorant. Illis lætantur sua desideria gubernari, suos impetus sustentari, suis consiliis lumen

addi, suis finibus media subministrari, suis conatibus calcar addi. Spectant, dum faciendorum monita intuentur, quos progressus ad honestatis & gloriæ regulam hactenus perfecerint, quantum difficultatis generosis mentibus oppositæ superaverint, quanto discrimine ab humi repentibus abiectisque animabus sese separaverint, quam proximè ad originem splendoris sui & heroicorum motuum accesserint. Hoc gaudent, dum ante se præclarè gesta cernunt. Vident nimirum in historiarum monumentis, quibus passibus ad solidum & in secula iturum decus hactenus tot heroes festinaverint, quantis laboribus constet, ut quis cum successu prospero memoriam sui annalibus inserat, & seræ posteritatis amorem cultumque mereatur, quam omnia alia consequantur, qui, per ignaviam & voluptates fœdas dum vitam transegerunt, vitam tamen post funera sibi pollicentur. Excitant maximopere suos ignes, quos generoso fovent pectore, ut in flammas exurgant parium studiorum, & annalibus digna auspicentur. Divinarum autem revelationum studia generosarum mentium videntur esse propria. Sunt hæ Deo origine sua proximæ. A Deo splendores, à Deo motus, à Deo successus, à Deo robora ista capessunt, quibus supra vulgus mortalium assurrexerunt, & æternitati sua commendarunt merita. Orbis respicit illas, tanquam sibi seorsim cœlitus propositas, quas admiretur, quas veneretur. Nihil verò est, quod magis illos deceat, qui Deo proximi sunt, quam id, quod proximos nos Deo facit. Id sunt arcani illi sensus, quos ad instaurandam hominum dignitatem & mortalium immortalitatem

sospi-

ſoſpitandam Deus demonſtravit. Senſus generoſis mentibus ſublimes ſunt, proculà caducitate & vanitate rerum ſubmoti, certè ſordibus nullatenus & probris inhærentes. Ubi illi purius inveniuntur, quam in revelationum divinarum receſſibus, in quibus hoc unum explicatur, quomodo ab eo longiſſimè abeſſe poſſimus, quod gloriam noſtram commaculat? Gaudent, ſe Deo, h. e. autori ſuo & archetypo, ſiſtere. In cœleſtibus oraculis via oſtenditur, gradus delineantur, veſtigia figuntur, quibus illud ex voto perficitur. A quo longiſsime remoti ſunt, qui, incitamenta orbis delirantis ſecuti, id, quod communiter fit, imitatione promta conſectantur; non quod divinitus, ut fiat, imperatum eſt, affectant; nec cœlo conſentire geſtiunt, ſed terræ. Terræ hos filios dixeris, non altioris originis, qui ſpreta origine ſua, qua cœlitus parati ſunt, humilia & ſordida amant, &, immane quantum! ab autoris placito diſcrepant. Ad illud ex adverſo ſe componunt generoſæ mentes, volvunt & revolvunt illud, eo imprimis oblectantur, ut quo nihil amplius inveniri poſsit, in quo perfectius recumbant, tranquillius immorentur, felicius ad immortalitatem aſſurgant: & poſtquam agendi proſperitate & innumeris virtutum ſuarum documentis orbem iuvarunt cœleſtibus illis arcanis ſeipſos demum perficiunt. Dum hæc loquor, *Perilluſtres & Generoſiſsimi Dnn. Comites, Dnn. Clementiſsimi*, ad illam imaginem reſpicio, quam *Illuſtriſsimus & Generoſiſsimus Dominus Parens veſter, Dominus meus Clementiſsimus*, de VOBIS diſpoſuit. Detinuerunt illum annis bene multis ardua militiæ exquiſitiſſimæ negotia, & difficiles eventuū

diverſiſſimorum alternationes. Is verò publicè profuturus, & REGINAE ſuæ fidiſſimus ſemper, ita tractavit bellum, ut aliquando pace frueretur & incomparabile fortitudinis heroicæ decus inſereret poſteris. Maximorum conſiliorum, quibus publico bono eximiè profuit, ita diſpoſuit aciem, ut Salutis publicæ conſequeretur ſemper augmentum. Quod dum obtinuit feliciſſimo ſucceſſu, nihil prius ſibi agendum putavit, quam ut Vos conſiliis ſuis imbueret. Ea, dum ipſe difficili & cruenta ſæpe ſchola complexus eſt, Vos *Generoſiſſima Pectora*, in umbra Academica comprehendere voluit. Nimirum, ut coniungeretis mentibus veſtris generoſiſſimis tum in univerſum bonas literas, tum eas, quas peculiaris Numinis æterni condeſcenſio mortalibus explicavit. Intelligit Generoſiſſimus Dominus Parens Veſter, quantum in arduis illis ſuis functionibus ex eo profecerit, quod & in univerſum inter militares tumultus bonarum literarum & ſcientiarum Cultores admiſerit in complexum, & peculiariter cœleſtibus oraculis ſedulò animum ipſe imbuerit, quibus ſtimulantibus, quod de *Ferdinando I.* Auguſto commemoratur, ſæpius cum Deo, quam cum hominibus locutus eſt. Quapropter & magno deſiderio maturius illud Vobis contingere optat, quod ad Veſtram utilitatem gloriamque redundaret. *Nobiliſſimus & Clariſſimus* Dn. PETRVS MOLLIVS, *Præfectus Veſter, Amicus & Fautor meus à plurimis annis mihi coniunctiſſimus*, voluntatis Paternæ ampliſſimus Vobis interpres eſt. Probavit ſuam fidem, ſuam pietatem, ſuam prudentiam antehac generoſiſſimis pectoribus, in quibus ea plantavit & ad maturitatem extulit, quæ ſplendidiſ-

ſimus

ſimis familiis magnum conciliare poterunt decus & antiquis imaginibus ornamentum pulcherrimum addere. Erga Vos, *Generoſiſſimi Comites*, veteri virtute & dexteritate ſua diſpenſat conſilia. Ea vidi ita ſuccedere, ut de penitiſſima coniunctione generoſiſſimarum mentium veſtrarum cum illis ſtudiis ſive univerſalibus, ſive ſacris, quibus exquiſitius perficeremini, non tantum ſpem conceperim, ſed & argumenta documentaque perceperim. Superioris anni memoria, *Generoſiſſimi Comites, Domini clementiſſimi*, apud me nunquam deſitura eſt. Acidulæ vallis Petrinæ dulciſſimum mihi virtutum veſtrarum in publicum excreſcentium reliquerunt mnemoſynon. Quoties, ut aquas largius hauſtas digereremus, quod ambulando perficere Medicorum leges poſtulant; digreſſi fuimus in illam, de qua ſupra dixi, mentium generoſarum cum bonis ſacrisq; literis coniunctionem? Quoties piam veſtram ad eam propenſionem tanta cum aſſeveratione profeſſi eſtis, ut nihil iſta prius, nihil Vobis antiquius eſſe proteſtati fueritis, & omne id tempus, quod ad hanc curam non adhibuiſtis, Vobis inutiliter præterfluxiſſe, cenſueritis. Quoties deſideria veſtra explicaviſtis, quibus ad iſtam perfectionem ferimini. Fiat bona cum gratia *Illuſtris Generoſitatis Tuæ, Dn. Comes IOHANNES FRIDERICE, Dn. Clementiſſime*, cuius antehac mihi innotuit clementia & ad ſublimia quæque promta indoles, ut de *Illuſtris Generoſitatis Tuæ* Domino Fratre, *Dn. CONRADO CHRISTOPHORO, Dn. meo Clementiſſimo*, cui ibi demum innotui, aliquid ex dulciſſimis Acidularum colloquiis referam. Una eademque Vobis mens eſt, unum generoſiſſimi pectoris dictamen, ad eadem co-

namini

namini virtutum vestrarum trophæa. Quod unus facit, dicitve, alter seu facit, seu facere gestit. Non semel mihi confirmavit *Illustris Generositas* eius, se post omnia studia, exercitia, oblectamenta, ornamenta, & quicquid ad seculi splendorē orbis apparavit, hoc inprimis pro certo habere, rerum divinarum meditatione nihil esse præcellentius, nihil, quo suum plenius satiare pectus, suis desideriis perfectius tranquillitatem addere possit, adeoque, si sibi daretur optio, se in his lucubrationibus quicquid à rebus publicè gerendis comparcere posset temporis, tota contentione positurum. Vnius confessio indolem vestram generosissimam profitetur, omninò ad originem suam contendentem. *Serenissima CHRISTINA, Regina omnia seculi ornamenta supergressa, Domina vestra maxima*, dispensatrix gloriæ in familiam vestram ex radiis Maiestatis suæ coniectæ, tanto Vobis exemplo quoque præit. Illa enim, postquam omnia triumphavit, quæ mundus magna & invicta esse existimaverat, bonarum sacrarumque literarum studiis humeros submisit, & cum longe lateque imperet, in his sibi seruiendum esse indefatigabili industria contestata est hactenus. Et hanc servitutem supra regna sua existimat. Vos, *Generosissimi Comites*, æmulamini caput vestrum & ad coronæ radios mentes vestras vertitis. Movit me salutaris ille genius vester, ut ausus fuerim Vobis hanc exercitationem sacram, quam ad Concilii Nicæni I. diatyposin de SS. Domini nostri JESV Christi Cœna superiori anno exorsus sum, & interlabentibus sortium mearum perturbationibus nunc demum executus, inscribere. Mysterium ipsum

sacris

ſacris continetur literis, tantò anguſtius, quantò fre-quentioribus fuit ſemper oppugnatum concertationibus. De quo, decennio ab hinc, cum Rauracorum Theologo in agone fui & quæ pro vindicanda genuina interpretatione verborum ſanctiſſimæ inſtitutionis diſputanda fuerant, modeſta diſſerendi ratione contuli. Placuit autem etiam monumentum quoddam antiquitatis ad illius arcani ulteriorem illuſtrationem in publicum proferre. Fuernnt in promtu Patrum antiquiſſimorum, Juſtini & Irenæi Martyrum, Tertulliani Africani, Cypriani Carthaginienſis, & aliorum egregia documenta. Sed prætuli monumentum ſynodicum. Concilium Nicænum I. vetuſtate venerandum, autoritate eximium, frequentia aſſeſſorum memorandum, concordia amabile fuit. Tertio poſt natum orbis Redemtorem ſeculo elapſo, cum paulo ante *Conſtantinus M.* ſubmoviſſet horrendas Ethnicorum perſecutiones, & Chriſtianiſmo tranquillitatem patrociniumque, imò, quod maximè hilarabat omnes Chriſtianos, etiam manus mentemque dediſſet, ſuamque coronam crucifixionis mnemoſyno decoraſſet, contra Arium, ſerenitatis novæ turbatorem aſtutiſſimum, celebratum eſt. Autoritatem autem temporum progreſſu paſſim obtinuit eximiam, cum poſt diuturnas graviſſimasque impugnationes nemo non amplecteretur eius ſymbolum. Confluxerunt Nicæam non tantùm ex univerſo Romano imperio, quod tum in omnes fere orbis partes diffuſum fuit, ſed & ex aliis regnis Doctores Eccleſiæ doctrina inſtructi, pietate celebres, martyrio etiam conſpicui

& stigmatibus Iesu Christi insigniti. Pauci è trecentis & quod excurrit suffragia sua reliquis opposuerunt. Vtinam nostris temporibus talem cœlitus spectare liceret congressum, ex quo vix quindecim eliminare necesse esset. In isto consessu varia agitata sunt. Primarium erat, quod æterna Salvatoris Deitas & cum summo Patre substantialis unitas asserebatur. *Canones de eutaxia Ecclesiæ, & diatyposes* de rebus fidei insuper conficiebantur. Dabitur occasio, ut & in symbolum meas meditationes colligam, & ad canones aliquid disputē, & de reliquis diatyposibus nonnulla commentari possim. Nunc, cum *Dn. Respondentis mei, GEORGII CHRISTOPHORI HOCHAICHERI Augustani*, me eò invitasset propositum, diatyposin de Cœna sacrosancta, in illo Concilio pariter adornatam, explicandam sumsi. Non licuit mihi temporis spatiis iniquis circumscripto ex voto materiæ tractare magnitudinem. Paucula ista selegi & Doctorum iudicio exponere volui, plura daturus, ubi Opt. Max. Deus mihi eam dabit tranquillitatem, quam studiis meis toties precatus sum. Exercitationem autem istam, ut iam ante occupavi dicere, VOBIS *Perillustres & Generosissimi Dnn. Comites, Dnn. Clementissimi*, submisse destinavi consecrare, tanquam documentum animi grati, & cultus observantiæque monumentum. Obstrinxistis me VOBIS penitus & in eam redegistis necessitudinem, qua nunquam non Vester futurus sum. Itaque non hoc tantum nunc offero, sed plura cum Deo spondeo. Habetis illustrium actionum vestrarum *Deum* arbitrum, habetis sapientissimam *Reginam* exemplar, habetis *augustos regni Sue-*

cici Proceres, & antecessores & excitatores, habetis *Illustrissimum Dn. PARENTEM vestrum*, imaginem pulcherrimam, qua universa familia coruscat. Agite, imitemini, æmulemini, succedite, *ô Domini*! Ego in his vestigiis positos, his generosarum mentium flammis effulgentes, hoc gestu laborum vestrorum expectationibus maximis satisfacientes subsequar devotè, & eò semper contendam, ut in me non desit gratitudinis conatus, quem vestris in me beneficiis debeo, in quocunque demum orbis angulo mihi obnoxium vobis spiritum Deus meus servaverit.

Valete in DOMINO IESU, cuius sanguine purpurasti estis, *Perillustres & Generosissimi Comites, Domini Clementissimi*. Scrib. Argentorati, XXIII. Martii, qui GVSTAVO in fastis sacer est, A. O. R. M DC LIII.

Perillustrium Generositatum vestrarum

observantissimus devotissimusque cultor

Joh. Georgius Dorscheus D.

ADDENDA AUT EMENDANDA.

Ad pag. 5. lin. 4.

DIxi ibi aliquid de Acoluthis, quos inter ordines Ecclesiasticos Concilium Tridentinum collocandos confirmat: Petrus Arcudius verò negat recenseri à Patribus temporibus Apostolorum propinquis, Clemente, Ignatio, Epiphanio, Rustico Narbonensi &c. imò & Isidoro Hispalensi, qui longius ab Apostolorum temporibus abfuit. Occurrit verò locus Cornelij Papæ *in ep. ad Fabium*, qui est apud Eusebium *H. E. lib. 5. c. μγ. latin. l. 6. c. 35.* ubi ita scribitur de Novato. Ὁ ἐκδικητὴς τοῦ Εὐαγγελίου οὐκ ἠπίστατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἕξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα, χήρας σὺν θλιβομένοις ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας, οὓς πάντας ἡ τοῦ θεοῦ χάρις καὶ φιλανθρωπία διατρέφει, ὃν οὐδὲ τοσοῦτο πλῆθος καὶ οὕτως ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τῆς τοῦ θεοῦ προνοίας, πλούσιός τε καὶ πληθύων ἀριθμὸς μετὰ μεγίστου καὶ ἀναριθμήτου λαοῦ, ἀπὸ τῆς τοιαύτης ἀπογνώσεώς τε καὶ ἀπαγορεύσεως ἐνετρέψατε καὶ ἀνεκαλέσατο εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Christophorsonus ita reddit. *Istum lepidum Evangelij patronum Novatum omnino præterijt*, (Græca habent οὐκ ἠπίστατο.) *scilicet unum solum Episcopum oportere esse in hac* (in Græco non est, ἐν ταύτῃ) *Catholica Ecclesia, in qua tamen non ignorabat, quomodo enim poterat? presbyteros esse quadraginta sex, diaconos septem, subdiaconos septem, acoluthos quadraginta duos, exorcistas & lectores, unà cum ostiarijs, quinquaginta duos, viduas & alios morbo atque egestate afflictatos mille & quingentos, quos omnes Domini gratia & benignitas abunde sustentat, sed tamen nemo ex tanta ministrorum multitudine tamque in Ecclesia necessaria, nemo ex tanto egentium numero, Dei providentia lucupletato, & rerum abundantia circumfluente, nemo denique ex maxima illa & innumerabili populi frequentia istum, quem dico, Novatum, ab ea desperata mentis cæcitate & contumacia avertere & ad Ecclesiam denuò revocare potuit.* De hoc loco Bellarminus *lib. 1. de Clericis cap. 11. §. Quare.* inquit:

13

inquit: *Cornelius Papa* in ep. ad Fabianum apud Euſ. 6. H.E. c. 33. *dicit in Eccleſia Romana ſuo tempore, id eſt, ante annos 1300. fuiſſe presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acoluthos. 42. Exorciſtas cum Lectoribus & Oſtiarijs 52. ubi nullam facit mentionem* Cantorum, *vel* Laborantium, *vel aliorum, quos alij numerant, quia nimirum illi nec habent propriam ordinationem, nec referuntur diſtincta ratione ad ſacrificium.* Severinus Binius inſerit hujus epiſtolæ fragmenta Conciliorum farragini *Tom. 1. part. 1.* Et ad verba ſuperius adducta notat: *Egregium teſtimonium pro ordinibus Eccleſiaſticis.* Sed ſic Arcudius & plures alij ἀβλεψίας accuſabuntur. Sanè Mart. ac Azpicueta Navarrus *in Manuali cap. 22. n 18. Ordines,* inquit, *ſunt novem ſecundum Canoniſtas, Tonſuratus, Oſtiarius, Exorciſta, Lector, Acolitus, Subdiaconus, Diaconus, presbyter & Epiſcopus. Quamvis, ſecundum communem Theologorum, ſolum ſint ſeptem, dicentium, primam tonſuram & epiſcopatum non eſſe ordines, ſed officia.* Et poſt. *Advertendum eſt, Concilium Tridentinum non definire, utra opinio, Theologorum, vel Canoniſtarum, de ordinum numero ſit retinenda, quod ſperabamus, quando hæc ſcripſimus: licet can. 23. 4. & 7. Canoniſtis videantur aliqua ex parte favere. Quare probabilis videtur utraque. Mea tamen, ſalva ſaniori, eſt, quatuor ordines ſive quatuor ordinationes, ſc. tres majores & Epiſcopatum, eſſe verè & propriè ſacramentum, alios autem potius eſſe ſacramentalia &c.* Notatque *ad cap. Nullus diſt. 60.* Auguſtin. Barboſa n. 4. quod *ſubdiaconatus primis propagatæ poſt Apoſtolos Eccleſiæ temporibus non fuerit inter ſacros ordines computatus, ut per Azor.* inſt. moral. part. 1. l. 13. c. 13. quæſt. 2. in princ. *Reſtaur.* de Imper. q. 29. n. 3. *Panvin.* de viſit. part. 2. quæſt. 6. n. 24. *Card. Bellarm.* de ſacr. Ord. lib. 1. c. 7. §. ſunt autem. *Vaſquez* de ſacr. Ord. diſp. 248. c. 3. *A quo autem tempore cœperit inter ſacros ordines computari, vide Campan.* in diverſ. jur. Canon. rubr. 2. n. 10. Conf. Covarruv. *Var. Reſ. l. 1. cap. 10. n. 10.* Nullo autem argumento ex iſtis ſub Cornelij nomine venditatis verbis ordinum Eccleſiaſticorum ſive diſtinctio, ſive numerus elici poteſt. Nomina, non ordines diverſi recenſentur. Adminiſtrationes fuerint diverſæ; ordines & quidem ſacramentales eſſe, unde probatur? Nihil ergo pro Binio h. l. eſt *egregium.* Fuerunt alijs temporibus & locis etiam alia officia, Ordines non fuerunt. Nam quæ & quanta eſt relatio Oſtiarij ad ſacrificium, & quomodo per hunc actum diſtinguitur à Le-

ctore, Acolutho, Exorciſta, Subdiacono, ut propterea diſtinctus Oſtiariatus ordo conſtituendus ſit? Et ſic quæro de Lectoratu, & cæteris. Cur non Piſtoratus, à quo panes euchariſtici parantur, in ordinum cenſum venit? Sanè is ad ſacrificium evidenter ordinatur? Sed iſta alibi. De verbis ipſis Cornelio attributis dicam apertè, quid mihi in mentem venerit. Exiſtimavi, illa eſſe ſupppſititia & in epiſtolam intruſa, neſcio qua manu. Rationibus nitor iſtis. I. quia vix viginti quinque annis prius Urbanus Epiſcopus Romæ non niſi duos ſacros ordines agnovit. Unde igitur eſſet intra paucos annos ſubdiaconorum, acoluthorũ, exorciſtarum, Lectorum & Oſtiariorum inſtitutio. II. quia circa annum Chriſt. 254 quo Cornelius Romanæ Eccleſiæ præfuit, tantus horum miniſtrorum numerus nec neceſſarius fuit, nec facile credi poteſt. Prius facile ex temporum ratione liquet, quibus in arcto & obſcuro congreſſis Chriſtianis quî ſubdiaconis, acoluthis & ſimilibus uſa fuiſſet? Poſterius etiam manifeſtum eſt. Quid oſtiarijs opus, ubi templa nondum ad eam rationem, quæ peculiares janitores poſtulant? Quid exorciſtis opus, diſtincti ordinis, ubi adhuc viguit donum illud miraculoſum pellendi dæmones? Quid Lectoribus, ubi presbyteri & Diaconi fuerunt S. literarum anagnoſtæ? Quid acoluthis, qui cum cereo accenſo ſequantur Diaconum ad locum Evangelij, & urceolos atque ampullas ad ſacrificium præpararent, ac ſubdiacono porrigerent? Iſta quidem inſolentia illi ſeculo non competit. III. quia illa verba neque cum antecedentibus, neque cum ſcopo cohærent. Accuſatur Novatus, quod ſe illis, quos in ſuas traxit partes, Romæ Epiſcopum præfici curaverit, cum ſciverit in Eccleſia Cath. non niſi unicum eſſe Epiſcopum oportere. Huic accuſationi quomodo cohæret, quod ſubjicitur; in Eccleſia Catholica non ignorabat presbyteros eſſe 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acoluthos 42. Exorciſtas cum Lectoribus & Oſtiarijs 52. Qui non potuit ignorare, in Eccleſia Romana eſſe tot presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, tot viduas & ægrotantes, tot opulentos, ille non debet ſe alterum Romanæ Eccleſiæ conſtituere Epiſcopum. Quæ eſt conſequentia? Qui videt tantam tamque Eccleſiæ neceſſariam

miniſtrorum

ministrorum multitudinem, tantum egentium Dei providentia locupletatum auctumq; numerum, qui rerum abundantia circumfluit, tam magnam & ferè innumerabilem populi frequentiam, is debuit desistere ab ambiendo Ecclesiæ Romanæ Episcopatu? Quivis videt, ista ἀνακόλουθα esse, & consequenter insititia. Cornelius sanè suæ sedis ordinem melioribus rationibus tueri novit. IV. quia non est proportio inter officia sub Cornelij nomine allegata. Quadraginta sex sunt presbyteri. His subordinantur Diaconi septem & totidem subdiaconi. Rursus Acoluthi quadraginta duo adduntur. Exorcistæ, Lectores, Ostiarij quinquaginta duo. Quomodo Diaconi & Subdiaconi quatuordecim quadraginta sex presbyteris sufficiunt ad ea præstanda ministeria, quæ à Pontificijs assignantur? Quid quadraginta duobus opus est Acoluthis &c. si Diaconi & Subdiaconi quatuordecim sufficiunt quadraginta sex presbyteris? Cur Exorcistarum & Lectorum tanta multitudo! Nonne unus utrique muneri par? Nonne lectione divinarum scripturarum potestas Diaboli solvitur? Ad quid & Ostiariorum tanta copia? cum Diaconi & Subdiaconi sint pauci. V. quia sine ratione viduas atque alios morbo & egestate afflictatos mille quingentos vocat? Fuitne enim perpetuo in Ecclesia Romana ita comparatum, ut cum viduis mille quingenti essent pauperes atque egentes? Igitur à verbis, ἐν ᾗ οὐκ ἠγνόει, ad finem usq;, assumentum est Novatoris alicujus. Qualia non pauca passim reperire licet. Vide sis Ignatium Vedelij, Cyprianum Pamelij, Vindicias Gregorianas Jamesij & alia.

Ad pag. 32. *lin.* 13. post, *coegerunt.*

Disertè numerum 318. exprimit tractatu de fide, Ruffino Presbytero interprete, quem sic orditur Nazianzenus. *Fides conscripta apud Nicæam à rectè credentibus Episcopis trecentis decem & octo.*

Ad pag. 51. *lin.* 7.

Placet adscribere, quod Arnoldus Pontacus Episcopus Vasaten. *in notis ad Chron. Eus. pag.* 702. habet Sic autem post verba Chronici initio §.33. recitata scribit. *Habent hoc idem Idac. Mar. septem Vaticani, & omnes libri una cum Contracto. Excipio Alcobacense MSC. ubi, pro* Constantinus *legitur* Constantius *& unum ex Va-*

ticanis,

ticanis, *ubi*, baptiſatus martyrium (*pro* in Arianum) dogma declinat. *Excipio etiam Lodonenſe Mſc. ubi ex una ſententia fiunt duæ, ſpatijs & velut laterculis diſtinctæ:prior*, Extremo vitæ tempore ab Euſebio Nicomedienſi Epiſcopo baptiſatus. *poſterior & valdè diverſa ab alijs libris*, Euſebius in Arianum dogma declinat, à quo uſque in præſens tempus Eccleſiarum rapinæ & totius orbis eſt ſecuta diſcordia. *In quibus dum librarius ſtudet liberare Conſtantinum à macula hæreſeos, incidit in maximam abſurditatem, tribuens Euſebio Epiſcopo Nicomedienſi, quod Imperatori ſoli convenire arguunt illa verba*. Eccleſiarum rapinæ & totius orbis &c. *Cæterum tota ſententia, ſicut ferunt vulgati, habetur fere ijsdem verbis apud Iſidorum* in Chronico, *eumque ſolum, ni fallor: prima verò pars confirmatur aliquo modo teſtimonio Socratis* l. 1. c. 36. *Sozom*. l. 2. c. 34. *Theodoreti* l. 1. c. 31. *Freculfi* l. 1. c. 20. *Mariani*, *Euſebij* l. 4. de V. C. c. 24. 61. & 62. *& poſt eum Ambroſij* in orat. de obitu Theodoſij. *dum tradunt, Conſtantinum circa finem vitæ baptiſmate ablutum. Invaluerat enim tunc pravus uſus, ut plerique baptiſmum uſque ad extremum vitæ differrent, quo certiores eſſent de peccatorum omnium expiatione & ſalute animæ, ut videre licet apud Auguſtinum, Chryſoſtomum & alios illius ſeculi, qui in morem illum acerrimè invehuntur. Nihilominus, non videtur valde probabile, Conſtantinum Catechumenum, ſeu, adhuc à Satana poſſeſſum* (nam ille, *ut loquitur Cyrillus* Catech. *myſt*. 1. in aqua ſalutis ſuffocatur.) *potuiſſe intereſſe tum Concilijs Eccleſiaſticis, tum divinis myſterijs, quæ quotidie per Epiſcopos & Sacerdotes in comitatu peragebantur, ſicut eum feciſſe non ſolum in feſtis paſchæ, ſed ſæpe alias, teſtatur Euſebius* l. 4. V. C. c. 46. & alibi. *Nam certum eſt ex innumeris teſtimoniis, non licuiſſe illis ſacris intereſſe, niſi baptiſatis: & nota eſt hiſtoria Numeriani Imperatoris infidelis expulſi ab Eccleſia per Babylam Epiſcopum apud Nicephorum* lib. 6. c. 36. & l. 10. c. 28. *& Conſtantij celebrantis Concilia non in Eccleſia, ſed in palatio, ut narrat Severus* lib. 2. *quia adhuc ut Catechumenus non poterat intereſſe illis, quæ fiebant in Eccleſia & inter ſacra. Quod tamen non ita aſſero, ut neſciam, illud non habuiſſe locum in Theodoſio Magno, quem conſtat interfuiſſe Concilijs & myſterijs privilegio Epiſcoporum, & tamen eundem ſub finem vitæ fuiſſe baptiſatum teſtetur Ambroſius. Itaque ejus rei fidem relinquo apud ſuos autores, ſicut facit Sigonius* l. 4. de Occid. Imperio. *Supradicti autem ſcriptores non attingunt, per quem Conſtantinus baptiſma ſit conſecutus, an per Catholicum Epiſcopum, an per Arianum? Quod per Arianum,*

hoc

nec tanquam figmentum Arianorum refellunt Nicephorus *lib.7.c.45.* Cedrenus, *Anastasius* Bibliothec. MSC. *ex Theophane Græco historico*, *Antoninus Florentinus*, *Mart. Polonus & alij plerique, qui consentientes Ecclesiæ universali, ut loquitur Niceph. l.8.v.54. multis confirmant, Constantinum à solo Sylvestro salutari lavacro expiatum. Quod pertinet ad alteram partem, videlicet Constantinum incidisse in Arianismum, solus Lucifer ex veteribus l.1. de Regib. Apost. idem sentire videtur; hinc forsan suspicionis ansam captam, quod Episcopos Catholicos, ut Athanasium & alios in exilium amandarit circa ultimos eius annos. Sed hoc factum non provenit ex fide corrupta, sed quia ipse artibus & fallaciis Eusebianorum deceptus, (qui licet simularent se Catholicos, Arianis tamen occultè favebant) existimabat ex eo effecturum, ut hoc pacto Athanasius liber esset ab eorum crudelitate, qui illi per insidias imminebant, sicut loquitur Athanas. ep. ad solitar. vit. agentes, ubi non solùm de suo exilio illum excusat, sed etiam tuetur ab hac labe hæreseos, quando post obitum Constantini exprobrat Constantio, quod exemplum Patris non consectetur, sed sinat se ab hæreticis seduci, ac vocat Constantinum* felicis memoriæ & religiosissimum. *Idem facit Epiphanius* hæres. *69. dum, comparans Constantium cum Constantino Patre, illum incusat, quod* non secundum fidem Patris processit, *seu* deviavit. *Hilarius quoque* lib.1.ad Constantium, *ubi vocat Constantium* pietatis paternæ hæredem rebellem, *& Theodoretus* lib. 2. Hist.cap.5. *dum introducit Athanasium excitantem Constantem filium Constantini ad patris imitationem, & dum profert literas ipsius Constantis hortantis Constantium fratrem*, ut hæreditatem pietatis paternæ integram inviolatamque servaret. *His adde, quod sacra antiquitas venerata est Constantinum, ut orthodoxum & religiosissimum Dei cultorem, & Ecclesia Græca eum semper coluit, ut sanctum, ac memoriam recolit die 21. Maii.* Hæc Pontacus fluctuans.

Ad pag. 60. lin. 21. post, quæstionem

Hinc Athanasius epist. de synodis. οἱ ἐν Νικαίᾳ συνελθόντες,
συναγαγόντες ἐκ τῶν γραφῶν τὴν διάνοιαν, λευκότερον γράφοντες εἰρήκασι τὸ
Nicæni Patres colligentes ex scripturis sensum, dilucidius scriben-
ὁμοούσιον: *tes, dixerunt* τὸ ὁμοούσιον. Et ep. ad Africanos cum Ariani luderent in
verbis, & filium fateri simularent esse virtutem & sapientiam
Patris, malo tamen quodam sensu: Episcopi intellecta eorum fraude, συνήγαγον ἐκ τῶν γραφῶν *collegerunt ex scripturis* τὸ ἀπαύγασμα, τὴν δὲ πηγὴν, καὶ τὸν ποταμὸν, καὶ τὸν χαρακτῆρα πρὸς τὴν ὑπόστασιν

)( )( )(

ςασιν, κ̀ τὸ, ἐν τῷ φωτὶ σου ὀψόμεθα φῶς, κ̀ τὸ, ἐγὼ κ̀ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. Hæc omnia cum è ſcripturis collegiſſent, λευκότερον λοιπὸν κ̀ συντόμως ἔγραψεν ὁμοούσιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν *deinceps diſertius breviusque ſcripſere, conſubſtantialem Patri Filium.* Τὰ γὰρ προειρημένα πάντα ταύτην ἔχει τὴν σημασίαν, *nam ſuperiora omnia hanc habent ſignificationem.*

Ad pag. 62. lin. 23. poſt, conſedit,

Hinc recte autor Turco papiſmi Anglus lib. 3. cap. 2. p. 442. cum à Giffordo & Reginaldo, autoribus Calvino-Turciſmi, Thomæ Carthvvrichti Epiſcopi Anglicani ſequius de Nicæno Concilio iudicium ipſi obiiceretur, inquit: *Nec obſtat Carthvvrichti contra ſynodi Nicænæ autoritatem & Patres iudicium. Illud enim communiter noſtri homines improbant, velut hominis temerarii & in concilium illud celeberrimum & Patres nimis acerbi & iniqui.*

Ad pag. 83. lin. 26 poſt, Nicænum iam

Aliqui, licet non ſub hoc nomine, non diu autem poſt, ſub hoc nomine

Ad pag. 84 lin. 4. poſt, & ſeq.

Ut autem plenius de formatis informemur, placet annotare diſſertiunculam alibi propoſitam, quæ ita habet. Poſtquam variis fraudibus irrepere in Eccleſias cœperunt, qui poſtea Eccleſiis plurimas turbas dederunt, præter alia remedia
etiam commendatitiæ certis rationibus adornari & characteri-
bus inſigniri cœperunt, ne obreptitiæ alicubi obtinere poſſent.
Canonicas Græci vocarunt, quas Latini *formatas* dicunt, ut & ve-
tus autor ſecundæ Lat. editionis canonis quarti Conc. Laodi-
ceni, & Zonaras *ad finem Concilii Chalcedonenſis* indicat. τετυπομένας
poſteriores Græci nuncuparunt, ἀπὸ τοῦ τύπου, quem præ ſe tule-
runt. Andr. Schottus, *Formatas*, inquit, *has Epiſcopi literas dixerunt,*
ut formales epiſtolas Suetonius in Domit. cap. 13. Ad exemplum enim for-
malium Imperatoris epiſtolarum has excogitatas eſſe opinari licet. Vt nam-
que Imperator illis edicebat & publicè ad aliquem ſcribebat, ſic Epiſcopus his
publicè ad Coëpiſcopos ſcribit, & eos de neceßitate profectionis & de licentia
proficiſcendi Clerico vel Monacho data certos facit. Communis opinio
eſt, de formatis peculiarem ſanctionem in Concilio Nicæno fa-
ctam eſſe. Probatur illa aliquo fragmento, quod adſcribitur

Attico Constantinopolitano Episcopo, subiungiturque Actis Concilii Chalcedonensis, & ita habet. *Græca elementa literarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistólis Canonicis, quas mos Latinus* formatas *appellat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur, hoc à Patribus 318. Nicææ congregatis saluberrimè inventum est & constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem, id est, ut assumantur in supputationem prima Græca elementa Patris & Filij & Spiritus Sancti, h.e. π, υ, α. quæ elementa & octogenarium, & quadringentesimum & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima litera, id est, π. quæ numerum octoginta significat. Eius quoque, qui scripsit epistolam prima litera: cui scribitur, secunda litera; accipientis, tertia litera: Civitatis quoque, de qua scribitur, quarta; & indictionis, quæcunque est eiusdem temporis, idem, qui fuit, numerus assumatur: atque ita his omnibus Græcis literis quæ, ut diximus, numerum exprimunt, in unum ductis, unam, quæcunque fuerit collecta, summam epistola teneat: hanc qui suscipit, omni cum cautela requirat expressè. Addat præterea separatim in epistola nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat, valete in Domino.* Ita habet editio Quenteliana Colon. Anno 1530. curata à Jac. Merlino Theologo Parisiensi, cui ad amussim consentit editio altera Ann. 1538. quæ quoad Concilium Chalced. adornata est ad exemplar depromtum ex bibliotheca Monasterii FF. Cruciferorum Aquensis A. Chr. 1468 per Petrum Legatum Romanum in causa Leodiensi. Baronius A. 325. ex Cresconiana collectione notat, utramque editionem, Coloniensem (quam & sequitur Veneta Dominici Nicolini, qui ex Card. Sirleti ad fidem veterum exemplarium Latinor. & Græc. bibliothecæ Vaticanæ correcto exemplari concilium Chalcedonense edidit) mendosam esse, cum vocem ἀμὴν omittat, cuius literæ numerum nonagesimum nonum reddunt: itaque ille ita legit ultima Attici verba. *Addat præterea separatim ἀμὴν, Amen, quod in epistola nonagesimum nonum numerum secundum elementa græca significat. Valete in Domino.* Addit Baronius Cresconianam collectionem hæc insuper habere: *Nam numerus noster in epistola non tenetur Græcus, sed & Latinus exponatur, quæ directa unanimiter ab Episcopo Osio & Victore & Vincentio Presbyteris ad Episcopum urbis Romæ Sylvestrum, per quorum nomen servantes gremium dreximus sedi Apostolicæ.*

Quæ verba plane abſunt à Pariſienſi, Colonienſi & Venet.edd. Jvo Carnotenſis *in Decret. de cauſ.Cleric. part.6. cap.435.* rurſus aliter legit verba illa poſteriora Attici, & quidem ita: *Addat præterea ſeparatim in epiſtola etiam nonagenarium & nonum numeros, qui ſecundũ Græca elementa ſignificant, ἀμὴν.* Omittit, *Valete in Domino.* Bellarm. R. P. 1, 24. planè expungit verba, *Addat præterea &c.* quia deſperavit de lectione, quam abſurdam vidit. De quo Fr. Bernardin. Ferrarius *de epp. antiq.lib.1.cap.5. Vel expungendum eſt,* Valete in Domino, *vel ſi verba,* valete in Domino, *retinenda contendamus, addenda eſt nihilominus vox ἀμὴν & verbis,* Valete in Domino *præponenda.* Tertiam lectionem ſubminiſtrat Demochares, de quo infra, cum ait: *legendum:* ſi ſignificatur *υ. θ.* ex *vet. lib. ex Canonibus excerptorum, quem habeo. Nam hæc duo elementa 99 ſignificant.* Porrò continua ſuperioribus addit Jvo iſta verba. *Tres igitur prædictæ literæ græcæ ϖ, υ, α, & prima litera ex nomine Petri, id eſt, π. quingenteſimum, quinquageſimum & unum faciunt numeros. Π enim prima, quæ eſt in nomine ſummi Patris, 80 numerat. Υ verò, quæ eſt prima in nomine Filij, 400. numerat. α. verò quæ eſt prima in nomine Spiritus ſancti, unum indicat. Si addas π. quæ eſt in nomine Petri prima, id eſt, 80. reperies 561. ἀμὴν verò, quod eſt in prædictæ epiſtolæ fine ſcriptum, 99. indicat. α. enim unum. μ. quadraginta. η. octo, ν. quinquaginta numerum, qui 99. efficiunt, numeros. Si verò totam ſummam ſimul iungas 660. epiſtola numeros tenet.* Sic Jvo. Ad hanc legem compoſita legitur apud Jvonem cap.434. epiſtola Rathbodi Trevirenſis Epiſcopi ad Rothbertum Metenſem; cuius initium eſt: *In nomine π, Patris, υ, Filij, & α, Spiritus ſancti; Rathbodus* &c. Finis eſt. M CCCC XXXIX. *ϖ.υ.α.ϖ.ϱ.ο.σ.υ.θ. ἀμὴν. Subdato Treviris idibus Octobris, an. Dominicæ incarnationis* D CCCC VI. Indictione VIII. cap.435. Habetur epiſtola ſimilis Dadonis Virdunenſis Eccleſiæ famuli ad Rathbodum S. Trevirenſis Eccleſ. Archiep. Cuius initium græcis literis caret. Finis eſt. *Ego in nomine π. Patris, & υ. Filij & α. Spiritus ſ. & in unitate S. Eccleſiæ, in qua Petro datum eſt ius ligandi & ſolvendi, abſolvo Dado humilis Epiſcopus presbyterum Adruinum de civitate Virdunenſi, & licentiam do vobis, Rathbode venerabilis Archiepiſcope, inthronizandi eum in quacunque Eccleſia vultis veſtræ parœciæ. Dilectam paternitatem veſtram virtutum floribus inſignitam omnipotens Deus conſervare dignetur.* D. CC. LXXVIII. *π, υ, α. π, δ, α, ϱ, δ, θ. ἀμὴν. Data Virduni V. Id. Maij, anno Dominicæ incarnationis* D. CCCC. VI. *Indi-*

ctione

ctione VIIII. Habetur etiam formatæ exemplar apud Burchardum Wormatienſem Epiſc. *Decret.lib.2.c. 227.* qui vixit ſeculo XI. Huius initium in edit. Colon. ann. 1549. hoc eſt. *In nomine Patris π. & Filij υ. & Spiritus S. α.* Finis hic. *Hanc ergo Epiſtolam græcis literis hinc inde munire decrevimus, & annulo Eccleſiæ noſtræ firmare cenſuimus. Fraternitatem veſtram Chriſtus nobis incolumen conſervet, π. υ. α. π. β. ε. ζ. ξ. α. κ. η. θ. Data Wormatiæ. Id. Martij A. Dom. Incarn. 1012. indict. X.* Apud Gratianum initium ſic habet. *In nomine Patris π. & Filij υ. & Spiritus ſ. α. π.* Sic legit emendata Gregorii XIII. edit. Lugdun. & Veneta. In edit. decreti ſingulari Ant. Democharis Antvverpienſi omittitur π. poſterius. Vetus editio Argentinenſis ann. 1490. poſt Spiritus Sanctus ponit Amen. α. ſed in ea finis epiſtolæ planè corruptus eſt. In Antverp. literæ græcæ omiſſæ ſunt. *Fraternitatem veſtram Chriſtus nobis incolumen conſervet. ἀμὴν. Data Wormatiæ Idibus Martij A. Dom. Incarn. M. II. menſe 12. indict. 10.* Demochares ad marginem habet. pro ἀμὴν legitur in MSCto & Burchardo π. υ. α. π. β. ε. β. ξ. κ. η. θ. Editio Veneta & Lugdun. habent, π. υ. α. π. β. ε. ζ. ξ. ἀμὴν. Vidit Ferrarius, non reſpondere præſcripto; unde ſic emendandum ſtatuit: π, υ, α, π, α, μ, μ, ι. ἀμὴν. Addit Ferrarius aliud formatæ exemplum à Ragenberto Vercellenſi Epiſcopo Andr. Mediolanenſi Archiep. exaratæ, quod ita etiam characteriſatum eſt. Habet autem Gratianus aliud inſuper exemplar, de quo rubrica ſive inſcriptio ſic habet. *Incipit epiſtola formata à* CCC. XIIX. *Epiſcopis & Abbatibus Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopo edita.* Ita legit vetus Argentinenſis, & Anton. Demochares. Lugdun. & Venet. legit: *Incipit epiſtola formata à 318. epiſcopis & Attico Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopo edita.* Utrumq; falſum. Quid enim eſt, à 318. epiſcopis & abbatibus edita? Quid eſt à 318. epiſcopis & Attico edita? ſi ediderunt 318. Patres, quomodo Atticus? Si Atticus, cur non reſpondet illis legibus, quas ex Nicænorum Patrum inventione Atticum recenſuiſſe, traditur? Et quam abhorret vel à Nicænorum Patrum, vel ab Attici temporibus? Notat Ferrarius haut immeritò, *eam tot ac tantis adſectam eſſe vulneribus, ut temerarium ſit omninò medicas ei velle adferre manus.* Plenius dixiſſet, omninò fictitiam eſſe. Barthol. Brixienſis gloſſator ait: *Diſt. 73. in ſcholis non legitur, quod quæ in ea continentur, in deſuetudinem abierunt, ſcil. de formatis, qualiter & quibus literis concipiendæ ſunt.*

 ut quid

22

ut quid ergo membranas occupant. Sic vetus, *Argent.* paulo aliter Greg. XIII. Et in univerſum, quod de Concilio Nicæno aut *Attico* Conſtantinop. proditur, commentum eſt. De formatarum epiſtolarum uſu antiquo, nullum dubium eſt. *An* modo ſuperius dicto iuſſu Concilii Nicæni & relatu *Attici* Conſtantinopolitani ita fuerint adornandæ, incertiſſimum eſt. Concilio Chalced. à neſcio quo adiecta, *Attici* Conſtant. non ſunt. *Lo*quuntur apud eos, qui Græcæ linguæ vim uſumque non ita exactè callent. Quomodo quæſo Conſtantinopolitanis aut Chalcedonenſibus iſta ſcribere potuit *Atticus*? Quibus loquitur, cum ait; *quas mos Latinus formatas vocat?* Si Latinis, cur iſta commonefacit? ſi Græcis, cur de numeris per literas græcas exprimi ſolitis meminit? Præterea ſi Franc. Balduino *ad l. 2. Opt. Milev.* Gerhard. Rudolph. *de lit. can. c. 3.* & Baronio *ad A. Christi 142.* fides, fallitur fictitius *Atticus*, cum Canonicas & Formatas idem putat, quibus ſuccenſet Ferrar. *l. 1. c. 3.* *Accedit*, quod apud Jvonem & Gratianum verba illa recitantur non tanquam *Attici* Conſtantinopolitani, ſed tanquam compilatoris decretorum. Præterea quomodo *Atticus* Conſtantinop. Epiſc. in Chalcedonenſi ſynodo illam formatarum delineationem edere potuit, cum ſynodus *A.* Chr. 451. fuerit, *Atticus* mortuus ſit A. Chr. 425. & in Chalcedonenſi ſynodo canon editus 27. in quo repetitur decretum Conſtantinopolitani I. Concilii, quo Conſtantinopolitano Epiſcopo æqualia cum Romano tribuuntur privilegia. Sanè ergo *Atticus* literam π. epiſtolæ formatæ non ideo inſerere iubere potuit, ut Petri primatus in iurisdictione Eccleſiaſtica & poſt eum R. Pontificis aſſeratur. Denique nec ideò B. *Attico* tribui poteſt illa de Concilio Nicæno traditio, quia nullius uſus eſt. Baronius ad ann. 325. n. 166. hoc obiicit, quia quilibet etiã impoſtor eiusmodi literas fingere potuiſſet, & ſinceritatem ſuam taliter mentiri. Reſpondet, ſecretum inter Epiſcopos fuiſſe retentum. Cur ergo B. *Atticus* ſuo tempore, uno tantum poſt Concilium ſeculo, prodidit? Mirum ergo, cur Bellarmin. l. c. prærogativam aliquam Petro ex hoc fragmento conciliare auſus ſit.

Ad pag.

Ad pag. 85. lin. 9. post, n. 2.

Ad can. 11. vide Innocentii I. Pontificis Roman. epist. 2. cap. 2. & epist. 24. cap. 4.

Ad pag. 96. lin. penult. post, Alf. Pisanus.

In Confessionis IV. Civitatum Augustæ Carolo V. oblatæ Apologia artic. 18. pag. 174. ita Diatyposis, ut Nicænæ Synodi, redditur. Also auch auff dem Göttlichen Tisch laßt vns nicht niderträchtig auffs fürgelegt Brod vnd Trinckgeschirr acht haben / sondern mit erhöchtem Gemüth durch den Glauben erkennen / daß auff dem Tisch lige das Lamb Gottes / daß der Welt Sünde hinnimmet / das von den Priestern vnmeßlich gemetzigt / das ist / ohn metzigen vnd abnehmen / wie der Alten Opffer geopffert wurden / geopffert ist.

Ad pag. 99. §. 5. lin. 27.

Ita leg. Vocare altare, idque propter propriè sic dictum sacrificium.

Ad pag. 104. lin. 16.

Ita lege. At Johannes Bapt. Casalius Rom. de sacris veterum Christianorum ritibus cap. 38. pag. 212. probaturus, in lege &c.

Ad pag. 112. lin. 4.

Leg. Quantum abfuerit.

SYLLA-

SYLLABUS

Rerum in exercitatione ad diatyposin Concilii Nicæni contentarum.

SECTIONE I.

Concilii Nicæni elogia & circumstantiæ enumerantur.

θ. I.

θ. 14.

25

)( )( )( )(

An om-

26

SECTIO II.

28

SECTIO III.

Diatyposin Concilii de S. Cœna eiusque ἔκθεσιν exhibet.

Quid

Quid

§. 37.

Si fra-

)()()()()(

32/0

SYLLABUS.

